DISPUTATIO MEDICA

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM

QUAEDAM COMPLECTENS.

AUCTORE SAMUELI S. RAYMOND.

PRAEFANDA.

Quanquam innumera fere valetudinis adversa genera corpus humanum plectere solent, omnia tamen duplicem ad catervam referri possunt. Quaedam, scilicet, Acuta, pede celerrimo accedunt et progrediuntur; actiones ipsi vitae necessarias impediunt, citaque morte aut salute finiuntur: alia, Vetustiora, lento passu invadunt, diu trahunt, summaque molestia hominem contristant, etsi haud fatum praesens mi-

nitentur. Ex illis nullum omnino medicorum pluris inquirere et cognoscere interest, quam illud gravissimum, cui nomen "PERITONITIS "PUERPERARUM." Summos medicinae honores ambiturus, hanc argumento, de quo pauca disputem, selegi: haud sane nova me luce eam illustrare posse professus: at potius medicorum studium huc vertendi cupidus: quippe cujus morbi luctuosissimi apud Valetudinarium Eblanense anno MDCCCXIX^{NO}, quam plurima exempla mihi novisse contigit. Hoc valetudinarium, id est, gravidis accipiendis dicatum, anno MDCCLVII^{MO} institutum, uti tabulae scriptae docent, vix minus centum millia foeminarum in utero gerentium jam subierunt. Ab eo tempore ad hunc usque diem, morbus propositus crebro ibi vulgaris grassatus diram stragem intulit: Anno MDCCLXXIV^{TO} tredecim ex octoginta implicatis periere: Anno MDCCLXXXVII^{MO} octo ex undecim affectis succubuere: Anno MDCCCI^{MO} plures mortuae sunt: Anno MDCCCXIII^{TIO} paucos intra menses amplius octoginta obiere: Anno, denique, MDCCCXV^{TO}, MDCCCXIX^{NO}, et

MDCCCXX^MO^, hic morbus perquam lethalis saeviit.

Peritonitis Puerperarum nusquam et nunquam non mulieres torsit. A temporibus Hippocraticis usque ad hunc diem auctores medici eandem lucide descripserunt, crebramque et exitiosam tulerunt. Quantumcunque vero medici animos huc appulerint, lugendum est, ejus naturam adhuc magna ex parte latere, certeve parum de ea convenire, vel inter peritissimos; nec ullum valetudinis adversae genus saepius aut gravius spem fefellisse. Multi auctores hunc morbum duplicis esse generis contenderunt; nimirum, modo *sporadicum*, modo *epidemicum*. *Sporadicum* nominant, si notae febris non nisi e *peritonaeo* inflammato nascuntur, citra contagium, aut aliam similem causam genitricem: at vero suspicari licet *hysteritidem* non raro perperam pro *peritonitide sporadica* haberi. Quod ad alterum, nempe, *peritonitidem epidemicam*, multi, cursu ejus exitioso perspecto, eam pestilentem, certeve quadam coeli proprietate alitam, crediderunt. De hac

potissimum disserere in animo est: quam sic definire placet: "Apud puerperas vires lapsae, "*pyrexia*, ventris dolor premente manu et por- "recto trunco corporis auctus; ubera flaccida; "lac et uteri purgationes pene suppressa." Haecce praefatus, ad mali propositi signa exponenda transibo.

DE INDICIIS.

Plures medici cursum hujus morbi in duas partes diducere solent: quarum non nisi priori spes affulgere solet; celeri enim passu ad fatum properat; matureque facto opus est, quo perniciei obstetur. Sequitur ut notas partis prioris enarrem.

I. Horis circiter quadraginta octo post partum exactis, artus mulieri inhorrescere coeperunt; nec vero illico sequitur morbus ipse gravis. Vires simul animi et corporis languent. Aliquanto postea summa cutis incalescit et aret, et sitis cruciat. Angor quaesitissimus ad prae-

cordia refertur. Vultus praeter naturam rubet et turget, et summam animi molestiam insignit. Aegra frequenter suspirat; inquieta jactatur; spiritumque solito crebrius et difficilius trahit et emittit. Arteriae saliunt aliquando valide, dure, et citius quam fert natura; at saepius, exiliter et celeriter, imo vero CXXX^IES^ quaque LX^MA^ horae parte. Non multo postea, dolor saevissimus imo ventri insidet: qui scilicet a ligamento *Poupartii* partibusque huic vicinis profectus, ad lumbos et femora tendit; manu premente ingravescit; sensimque per ventrem universum diffunditur. Abdomen intumescit, et acutissime dolet, manus vel leviter contrectantis impatiens. Aegra nausea et vomitu naturae biliosae torquetur; vires insigniter languent; vultus nunc expallescit, et collabitur; oculi hebetes dolent, cutisque proxime palpebras inferiores livet; labra siccescunt et pallent. Haud raro dolor capitis et vertigo urgent, auresque sonant; et longe saepius aegra vertiginem et mentem turbatam, potius quam capitis dolorem, queritur. Lingua praeter natu-

ram pallescit, eique papillae quasi candent: modo sibi praefert lineam mediam rubicundam; et fere humet; margines ejus sordis integri nitent; maximeque, id notare licet, si vomitus ab initio saevierit. Memoratu sane dignum est, linguam hoc morbo implicatis quam aliunde febricitantibus multò minus pati. Actio ventriculi ad ipso principio labitur; evomitur initio natura flava et viscida, dein viridis, haud citra gravitatis sensum ad praecordia relatum. Urina redditur parca et rufa. Alvus pigerrima durum, atrum et foetens excernit; idque aegerrime, nec citra gravem molestiam, atque crebram desidendi cupiditatem. Uteri purgationes, secus atque fert natura, parcae et subatrae fiunt. Si jam ubera lac secernere coeperint, illico flaccent, eumque succum parare desinunt. Nosse juvat, et praesertim notandum est, persaepe quam minime hujus incommodi pigere aegram, quasi infantis oblitam. Signa jam descripta, quae horas circiter quinquaginta perseverare consuerunt, partem hujus mali priorem conficiunt; nec nisi hac jam

perstante, ars medicinalis aliquid opis pollicetur.

II. Ad partem jam ventum esse secundam testantur arteriae nunc incitatissimo motu salientes; scilicet, centies et quadragies quaque horae parte LX^MA; simulque mollius. Vultus, inter haec, mentis angorem et perturbationem denuntiat; oculi nitoris expertes hebetantur; *pupillae* ultra naturam patent, nec luce coarctantur; nasus quasi acuitur: malae mediae rubore roseo florent, alibi expallescunt, haud aliter atque febre *hectica* cruciante. Labia purpurascunt, et facies subinde aliquantum rubet, momento temporis: quod sequitur ut summa cutis, praesertim circa frontem, cervices et pectus gelido diffluat sudore. Aegrae non nisi supinae cubare licet, elatis artubus inferioribus. Venter tumere incipit, et exinde septo transverso impedito et presso, spirandi difficultas increscit; tussicula crebra spiritum valde turbat, insignemque facessit molestiam. Lingua demum nigricat, inarescit, *aphthis*que efflorescit; dentes sorde atra et glutinosa in-

quinati squalent; anhelitusque pessime olet. Sitis non restinguenda plectit: misera continenter evomit; quod vero pessimum est, natura foetidissima, fusca, pici, baccisve *coffoeae officinalis* exustis et contritis aqua mistis, simillima ejicitur. Alvus demum, animi injussu, fluit, dejecto stercore corruptissimo, liquido, graveolente et piceo. Venter detumescere et minus dolere incipit: vultus squalet et extenuatur, veluti cuivis exanimi. Alae nasi continenter tremunt: spiritus trahitur et emittitur crebrius, languidius, summaque difficultate. Aegra sermonem edit alienum; delirat, mussitat; inquieta e lecto prosilire nititur. Non raro vicissim modo quiescit, modo ex improviso assurgit, artusque tremulos jactat; perinde quasi perniciem instantem arcere vellet. Huc accedunt, nec multo postea, motus arteriarum citissimus, exilissimus; eo ut quoties moveantur intra partem horae LX^MAM^ statui non possit; sudores gelidi et glutinosi, urina et stercus, animo non imperante, elapsa. Praeter haec, aegra assidue singultit; membra frigent et tre-

munt; tendines digito imposito subsilire sentiuntur: demumque nervorum distentiones in mortem exoptandam abeunt.

QUAE SECTO CADAVERE PATESCUNT.

Cadavere secto, *omentum* et *peritonaeum* notas inflammationis gravis praegressae exhibent. Membrana intestini extima, e *peritonaeo* scilicet deducta, secus atque fert natura, crassa est, opaca, et vasis sanguine refertis scatet: intestinum ipsum aëre malo et foetido turget: quod vero praesertim memorabile est, cavum ipsum ventris copia ingenti humoris flavi et glutinosi, cui saepe multum *fibrinae* ejusdem coloris innatat, impletur: imo vero interdum plures ejusdem librae inveniuntur, quam inflammatio *peritonaei* praegressa intulerit necesse est. Quinetiam, variae intestini partes, praeter naturam, secreta *fibrina organica*, cohaesisse reperiuntur. Quaram cadavera patefacta introspexi, iis uterus integerrimus fere apparuit, nec justo grandior. Nihil sane insoliti oculis patuit,

nisi sordes crassa et fusca, quae faciem interiorem obducit; nimirum, purgationes uteri suppressae et concretae. Membrana ventriculi intima speciem ejusmodi sibi praeferre consuevit, humore isto crasso et piceo, de quo supra retuli, infuscata. Perraro, *pleura* aut pulmo aliquid praeter consuetudinem exhibet: cerebrum quoque sanum fere invenitur: nosse porro juvat, nulla indicia cerebri actionis laesae, aegra adhuc spirante, accedere solita esse: mentemque integritate perfrui, vel ubi ad ultima jam ventum est. Ruyschius tubas Fallopii hoc malo aegrotantibus vitiosas meminit; quae vero revaluere, steriles exinde, sive concipiendi impotentes, esse feruntur.

DE DIAGNOSI.

Hysteritis morbum propositum eo usque simulat, ut vel medico solerti errare liceat: neque vero error istiusmodi lethalem exitum habere poterit; siquidem haec duo mala jam

ineuntia eandem fere medendi rationem desiderant. Hisce vero perspectis, utrum eorum urgeat, plerumque in aprico erit. Inflammatio uteri denuntiatur dolore saevo, urente, qualem subit pars lancea transfixa ; sensu plenitudinis et gravitatis ad pelvem relato ; crebra mingendi cupiditate, urina aegre nec citra dolorem excreta : utero ipso amplificato et duro. Huc accedit, dolorem imo ventri soli incumbere ; febrem magis exardere, purgationes uteri omnino supprimi, et ventriculum longe irritabiliorem esse *hysteritide* quam *peritonitide puerperarum* vexatis.

Ephemera ex horrore acerbiori quam morbus propositus incipit ; horisque circiter xxx exactis, sudore profuso solvi consuevit : neque dolor et molestia abdominis torquent. Quibus perpensis, facile dijudicare licebit.

Febris lactea nunquam hunc morbum tantum refert, ut rei medicae expertus decipiatur. Quamvis enim plures notae illi cum hoc sint communes, ubera tamen, illa urgente, tumefacta, et dolor inde ad axillas tendens, satis ejus naturam insigniunt.

Quod ad DOLORES PARTUI SUPERVENIRE solitos, notatu dignum est, hos febris expertes esse, invicemque modo accedere, modo quiescere; quos ideo ad *peritonitidem puerperarum* nemo scientior relegare poterit.

Miliaria dignoscitur sudore olido, cute pruriente, et demum vesiculis sui similibus efflorescente; quae signa eam clarissime praedicant: nec sane eam hic memorarem, nisi puerperas crebro adoriretur.

Colicae cum *peritonitide puerperarum* commune est, abdominis dolorem quaesitissimum moliri. Illa autem dolor oriundus umbilico potissimum inhaeret, manu premente, et trunco corporis antrorsum inclinato lenitur; *colica* porro alvum multo magis tardat.

Quamvis alvus fere pigra est *peritonitide puerperarum* plexis; interdum tamen eadem ineunte fluit. Neque vero illico *choleram* subesse judicandum: qua scilicet contortis alvi fluxus longe citiori pede invadit, copiosior est, tormina saeviora facessit, et animi corporisque vires vehementius quatit. Praeter haec, vomi-

tus biliosus et crurum rigor *cholerae* propria sunt: si denique alvus fusa morbo, quem prosequor, ineunti contingit, potius recreare et refocillare quam infirmare solet.

Hic loci, haud alienum videtur, paucis exponere, quousque *peritonitis puerperarum peritonitidi* simplici distet. Multa sane indicia hujus cum illa sunt communia; qualia sunt dolor acerbus abdominis, et plenitudinis sensus ibidem; arteriae concitatae, ardor insignis, dolor capitis, sitis, vomitus: illud simul meminisse juvat, genus nervosum multo magis labefactari, robur animi et corporis plus concidere, *peritonitide puerperarum* quam inflammatione *peritonei* simplici exercente: istam demum virium resolutionem quam celerrime invadere, vultuque anxio, demisso et solicito luculenter depingi. Ne multa igitur, in animo habitis signis, cum quae aegra adhuc spirante prodeunt, tum etiam, quae cadavere introspecta exhibent, non dubitari potest, utrumque horum malorum iisdem partibus inflammatis contineri: quaecunque demum *peritonitidis puerperarum* propria sint, ea

corpori muliebri et puerperio praegresso praesertim tribuenda esse.

DE CAUSIS ABDITIS.

Vix opus est meminisse uterum gravidum et partum causas esse abditas; id est, foeminas huic morbo subeundo, admota causa excitante, aptare. Huc quoque pertinent motus animi sedantes, quo fit ut innuptae, si in utero gerant, saepius quam nuptae in eundem incidant. Juniores prae adultis et senioribus opportunas accepimus. Nullis anni tempestatibus non aggredi potest: hyeme autem et vere potissimum et creberrime grassatur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Multi multas, veras pauci, hujus morbi causas excitantes proposuerunt. Hippocrates ad uteri purgationes suppressas eum retulit: quem

imitatus Hoffmannus *febrem uterinam* nominavit. Quidam perspecto humore quasi lacteo ab arteriis *peritonei* secreto, perperam eum lacti ab uberibus ad ventrem translato tribuerunt: quos fefellit opinio inanis; siquidem istum humorem aut lympham glutinosam aut pus esse satis constat. Ni sententias omnes fuso sermone memorem, multi *peritonitidem puerperarum* pestilentem crediderunt; scilicet contagio sui simili disseminari. Quidam coeli proprietatem esse causam excitantem contenderunt. Praeter has causas saltem dubias, adjicere licet, frigus corpori illatum, potus meraciores, victum incitantiorem, ventrem edito partu ictum sive violatum; vel demum arctius ligatum.

DE MORBI NATURA.

Supervacuum et alienum existimo varias sententias auctorum altius perscrutari. Manifestum est, neque purgationes uteri suppressas,

nec lac translatum, neque uterum inflammatum, omnes hujus morbi notas proprias gignere posse. Usu porro doctus *peritonitidem puerperarum* pestilentem, scilicet, contagio dispergi, nego; persaepe enim gravidas immunes novi, quae in Valetudinario Eblanensi aegris concubuere, certeve eodem in conclavi habitarunt. Neque quantum ipse comperire potui, aliqua corporis indole aut proprietate nititur; nec victus vitaeve genere: nobili enim loco natae et pauperes pariter in eam incidere videntur.

Uti igitur paucis absolvam, siquidem hic morbus venas vacuefieri desiderat, dolorque premente manu auctus, arteriae concitatae aliaeque notae consimiles inflammationem subesse arguunt; siquidem haec eadem clarissime, sectis mortuorum corporibus, antecessisse indicatur; statuere oportet, causam continentem esse inflammationem *peritonei puerperio* temperatam et mutatam; nec ullus dubito quin inflammatio ad omnes latebras et plicas hujus membranae saepe pertineat, ideoque ad ligamenta lata uteri. Nec vires graviter contritae vetant,

quo minus ita sentiam ; res est enim notissima, robur, quam plurimum conquassari *gastritide* et *enteritide* affectis ; medicum tamen prudentem, haud ideo perterritum, venas protinus deplere.

Denique, non admiror, quod multi hunc morbum pestilentem habuerint : quibus esti haud assentiri possum, fateri tamen oportet interdum *typhum* vulgarem grassari, simul urgente *peritonitide puerperarum :* et inde hos duos morbos eidem corpori interdum contigisse.

DE PROGNOSI.

Nulla genera valetudinis adversae medicorum et adstantium animos magis angunt et solicitant, quam ea, quae puerperas aggredi solent : quae vel jam integrae, fragiles, debiles, nec periculi expertes multo potius, multoque jure meliori curam et studium sibi vindicant, morbis implicatae, maximeque hoc malo exi-

tiosissimo. Tam cito equidem passu *peritonitis puerperarum* progreditur, in tantumque actiones vitae necessarias turbat, ut "consulto et "mature facto" opus sit. Quo rite exitum futurum praesagire possimus, oportebit aegrae aetatem, corporis indolem, vitae genus praegressum, aliasque proprietates istiusmodi, circumspicere. In praecipiti versatur, quae habitu corporis debili et mobili praedita in hunc morbum labitur. Periclitatur quoque, cui mens anxia et solicita quamvis ob causam contristatur : genus enim nervosum citra animum aliunde sedatum vel commotum, nunquam non hoc malo aegrotantibus gravissime labefactatur. Jam notavi innuptis uxores fere tutiores esse ; non solum quod melius curari, verum insuper, quod leviori mentis angore affici, solent. Vix salva fore videtur, quae, aut malis jam ineuntibus aut provectioribus, delirare coepit : mens equidem vel quam minime lapsa aut confusa praesens infert discrimen. Peritura est, cui artus tremunt aut convelluntur, tendines imposito digito subsiliunt ; cui labrum superius mo-

tu citissimo et abnormi exagitatur; sermoque expeditior et alienus editur, vultu simul mentis angorem et moerorem insigniente. Fatum quoque praenuntiant suspiria assidua, brachia continenter jactata, pectoris dolor et gravitas, stupor, delirium, aures sonis inanibus deceptae, spectaculis oculi. Quanto ocyus aliqua aegrotare postea incipiat, quam pepererit, tanto fere magis periclitatur. Ea quoque succumbere consuevit, cui ab initio sensus admodum hebetantur. Jure medicus terretur, si artus valde inhorrescunt et rigent, ubi morbus jam horas XII. diutiusve traxerit. Interdum induciae inanes inexpertum spe vana salutis futurae mulcent: quas tertio die, vesperique, accedere notavi, remediis non satis valentibus prius ministratis. Lugendum est medicum aliquando falsa ista specie lusum curationem idoneam, quae unica aegram morti eripere potest, praetermittere; nec multo postea, solutis induciis, pessimas supervenire notas. Salutem recidivam expectare licet, si dolor et aliae notae medicinae auxiliis cedunt. Mala inclinari

coepisse testantur vires eo usque refocillatae, ut aegrae jam cubans se convertere in lecto possit. In bona spe est, cui summa cutis ubique aequaliter sudore tepido, leni et recreaturo, sua sponte, humet. Felicem porro eventum augurattur alvi fluxus citra medicamina ingesta huc idonea accedens, quem arte cohiberi non oportet. Quod tamen sic praedico, ut non alvi dejectiones atras foetidas et animi injussu elapsas complecter; istae enim proculdubio metum gravissimum nunquam non incutiunt. Salva fore videtur, cui ubera tumentia lac secernere, uterique purgationes magis rubere et copiosiores fieri incipiunt; cui urina redditur multa, crassa, flava vel crocea, ex qua porro decidit natura aurea et viscida; cui lingua nitet et madet; arteriaeque micant tardius, validius, mollius, paribusque intervallis. Vix enim, quantum usu comperi, non revalescet, cui indicia hujusmodi contingunt. Malis jam ad finem properantibus, articuli minores interdum *erysipelate* efflorescunt mali moris: quod signum fere semper lethale est.

Quam exitiosus sit morbus, de quo agitur, satis superque ex eo patet, quod non amplius quinta pars mulierum aegrotantium ad sanitatem reduci consuevit, quoties vulgaris in valetudinariis grassatur.

DE CURATIONE.

Hucusque absoluta re proposita, sequitur ut medendi rationem exponamus. Satis ex jam dictis patet, omnibus remediis inflammationi debellandae accommodatis utendum esse. Haud equidem ignoro nonnullos viribus resolutis perterritos venas vacuefacere nolle. Plerique tamen ex artis medicae peritissimis huic remedio uti omnium praecipuo fidunt. Heius, vir eximius, qui Leedesii summa laude medicinam facit, contendit non nisi mole permagna sanguinis detracta, ipsoque principio, scilicet unciis viginti ampliusve, aegras ad sanitatem reduci posse: dolorique potius quam viribus et motui arteriarum insistendum esse, quo rite judice-

mus quantum sanguinis mitti debeat: non prius nempe ab hoc genere auxilii abstinendum esse, quam dolor jam conquiescere coeperit; sic tamen ut horis XII. exactis post venas prima vice depletas amplius sanguinis non mitteretur. Cujus in sententiam me jurare confiteor. Multo utilius est copiam ingentem sanguinis semel aut bis detrahere, quam crebro et parce venas deplere. Res est profecto notissima et memoria digna puerperas optime sanguinis profluvium amplum pati. Saepe enim permagna mole cruoris post partum emissa, quam celerrime et facillime revalescunt: quod si dein in morbum, quem prosequimur, incidunt (qui sane perraro, inter haec, puerperis contingit) signa omnia leniora esse feruntur.

Venis jam satis vacuefactis, alvus medicamentis mitioribus purganda: nosse juvat, non opus esse acrioribus, si jam auxilio antea dicto plenius usi fuimus: alvum contra valentissimis obniti, sanguine non prius ample detracto. *Oleo* e seminibus *ricini communis* salibusque mediis hunc in finem nitendum. Alvus porro

liquoribus idoneis per eam infusis duci debet. Venter simul fovendus est panno laneo aqua fervida madido, utreve eadem impleto, imposito, aliisve istiusmodi admotis. Usus tamen edocuisse videtur, tepidarium parum opitulari.

Hirudines abdomini adhibitae non nisi paulisper auxiliantur: quod si plurimae admoveantur, vires admodum conterunt. Venis rite depletis, alvoque probe expurgata, *emplastrum meloes vesicatorii* abdomini utiliter imponi solet.

Quidam praeparatis ex *hydrargyro* ita ministratis ut salivam moverent, et humores circumëuntes subirent, fisi sunt.

Praeparata ex *antimonio*, maximeque *tartras antimonii*, nonnullis permagni habenda videntur. Illud certe convenit, *tartras antimonii* perpotens esse remedium; siquidem nauseam et vomitum ciet, simulque alvi dejectionem et sudorem movet.

Medici Gallici radicem *callicoccae ipecacuanhae* summa laude prosecuti sunt, apud valetudinarium, cui nomen "Hotel Dieu:" grana VII. quaque hora complures horas insigni fructu

praecipere consuerunt. Ne multa, igitur, in aprico est, remediis deplendo et sedando accommodatis acriter et mature utendum esse: inanemque et perniciosam opinionem eos fallere, qui, malis ineuntibus, vinum et corticem *cinchonae officinalis* dederunt. Nec desunt alia bene multa remedia, quae alii atque alii decantaverint, prout quisque de morbi natura judicaverit: de quibus silere quam inutiliter sermonem producere malo.

FINIS.